



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 18. An malè distribuens bona vel onera communia, tenetur ad  
restitutionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

sint, & pro eo Deum orent, laudent, Sacrificium offerant, & alia sacra Ministeria obeant,

**Q. 18.** *An malè distribuens bona, vel onera communia, tenetur ad restitutionem?*

*Resp. I.* Quamvis violatio solius justitiæ distributiivæ non obligat ad restitutionem, quippe quæ est actus justitiæ commutativæ, æqualitatem rei ad rem spectantis; quia tamen sæpe Justitia commutativa concurret cum distributiiva: ideo sæpe mala distributio bonorum, vel onerum multis distribuendorum obligat ad restitutionem, quoties scilicet in ea violatur Justitia commutativa, seu aliquod alterius Jus in re, vel ad rem.

*Resp. II.* Qui onera, tributa, militum hospitia, &c. malè distribuit, nec justam proportionem in iis servat, tenetur ad restitutionem privatis, quos illa inproportionata distributione gravat: quia in hoc violat etiam Justitiam commutativam: nam illos sine causa justa spoliat bonis, quæ possident, vel graviore incommodo afficiunt; & privatus quisque habet Jus strictum, ac proprium, ne supra facultatem, & debitam proportionem gravetur.

*Resp. III.* Distributio bonorum communium debitorum privatis ex aliquo titulo particulari, v. g. laboris, operæ, pacti, &c. ut solutio stipendii facienda militibus, vel operariis ex ærario publico, pertinet ad Justitiam commutativam.

mutativam, quippe quæ versatur circa debitum ex aliquo titulo particulari, ut constat ex eius notione. Quare si male fiat, contrahitur obligatio restituendi.

*Resp. IV.* Si bona communia ex lege, vel consuetudine, vel voluntate superioris, aut donatoris destinata sint principaliter in bonum eorum, quibus distribui debent: qualia sunt proventus aliquarum civitatum ad hoc donati, vel destinati, ut singulis incolis distribuantur proportionatè ad indigentiam, vel merita, aut dignitatem singulorum; item pecuniæ summa à principe in præmium constituta militibus, qui fortiter pugnarunt, aut spolia hostium jussu ducis dividenda inter milites pro singulorum meritis, ac dignitate; malè ea distribuens tenetur restituere eis, quibus minus distribuit, quam habere debebant: quia in ea distributione violavit Justitiam commutativam: nam singuli habent jus accipiendi proportionatè ad suam indigentiam, vel merita, servitia, &c. Fundatum in donatione talium bonorum per distributorem proportionatè facienda.

Item qui accepit bona distribuenda pauperibus alicuius communitatis juxta cujusque indigentiam, tenetur ex Justitia commutativa talem pecuniam istis pauperibus, & non aliis, sic distribuere secundum voluntatem donantis: nam singuli isti habent Jus rigorosum in donatione fundatum accipiendi secundum

suam indigentiam. Ita S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 1. ad 3. ibi. *Recompensatio, quam facit distribuens ei, cui dedit minus quàm debuit, fit per comparisonem rei ad rem: ut si quanto minus habuit, quàm debuit, tanto plus ei detur. Et ideo jam pertinet ad justitiam commutativam.*

*Resp. V.* Qui malè distribuit bona communia primariò ordinata ad bonum commune, ut qui confert officia publica, vel Beneficia Ecclesiastica indignis aut minus dignis, tenetur refarcire damna inde secuta Ecclesiæ vel communitati: quia ex officio & pacto implicito, vel ex commissione acceptatâ, ideòque ex justitia commutativa erga Ecclesiam, vel communitatem; tenebatur in hac distributione bono communi prospicere, & eligere digniores. Sed juxta multos non tenetur ad restitutionem dignioribus, quos præterit: quia hi non habent Jus strictum, ac sibi proprium, & fundatum in titulo aliquo particulari proprietatis, pacti, donationis, contractûs, &c. nisi id factum sit in concursu, & examine, in quo digniores habent ex pacto implicito jus sibi proprium, ut aliis præferantur.

*Q. 19. An in dubio, utrum res sit aliena, restitui debet?*

*Resp. I.* Qui bona fide rem possidere cœpit, si postea incipiat dubitare, an sit aliena, tenetur ex Justitia veritatem diligenter exquirere:

*nam*